

Franckesche Stiftungen zu Halle

Dissertatio Inavgvralis Medica De Coena Immodice Largiori Gulae Intemperantis Noxa Certiori

Schulze, Johann Heinrich

Halae Magdebvrgicae, [1733?]

VD18 90819632

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)


Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

[urn:nbn:de:gbv:ha33-1-201887](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:gbv:ha33-1-201887)



131 B:12

131 B12

20
[19]
DISSERTATIO INAUGVRALIS MEDICA
DE
COENA IMMODICE LAR-
GIORI GVLAE INTEMPE-
RANTIS NOXA CER-
TIORI

QVAM
PRÆSIDE
D. IOANNE HENRICO SCHVLZE
MEDICINÆ ELOQVENTIÆ ANTIQVITATVM ET
PHILOSOPHIÆ PROFESSORE PVBLICO
ORDINARIO

ACADEMIÆ CÆSAREÆ NATVRÆ CVRIOSORVM ET
REGIÆ SOCIETATIS SCIENTIARVM BERO-
LINENSIS SODALE

PRO HONORIBVS IN MEDICINA SVMMIS
MORE MAIORVM LEGITIME CONSEQVENDIS

a. d. XI. Februarii clō lccc xxxiii.

H. L. Q. G.
defendet

AVCTOR
CAROLVS FRID. SCHWERTNERVS
IULIOBVGO - SILESIVS.

HALÆ MAGDEBVRGICAE,
Typis JO. CHRIST. HILLIGERI, Acad. Typogr.

I. N. D.
DISSERTATIO INAUGVRALIS
MEDICA

DE
CŒNA IMMODICE LARGIO-
RI GVLA INTEMPERANTIS
NOXA CERTIORI.

PRÆFATIO.



I omnia diiudicanda essent ex eo, quod antiquissimis temporibus obtinuit, quodque plurimis placuit, verendum mihi ad hanc commentatiunculam accedenti erat, ne omnium calculo reiiceretur mea sententia, qua multos grauius ex eo ægrotare ostendam, quod corpus immodice repletum nocturnæ quieti permittunt. Quis enim est, qui ignoret apud Græcos olim celeberrimum institutum athleticum, quod non nisi nobilissimum quemque admittebat, cuius pars maxima erat insignis voracitas in artis quasi formam redacta, cuiusque specimina non nisi finiente die danda erant, & a quibus ad somnum
A 2 illico

illico accedebant. Id vero totum ad se, vna cum aliis Græcorum moribus, transtulerunt Romani: de quibus multos excitare quidem liceret domesticos testes, eosque clarissimi nominis viros. Sed nunc vnus instar omnium de suis ciuibus edicat L. IVN. MODERATVS COLVMELLA a) qui *noctes, inquit, libidinibus & ebrietatibus, dies ludendo vel somno conficimus, ac nosmetipsos ducimus fortunatos, quod nec orientem solem videmus nec occidentem.* Qui enim occidentem viderent solem, qui cœna tunc iam protracta bonam mentem plerumque diu submerferant? aut qui orientem conspicerent, quibus longo & in multam lucem producto somno crapulam, & cruditates hesternæ cœnæ, vinci debere persuasum erat? Enimvero illa non minus bonis moribus quam rectæ valetudini inimica voracitas artificialis, publice olim laudari & foueri solita, in desuetudinem tandem abiit, nescio vtrum medicorum & rectoris moris magistrorum doctrinis magis suppressa & expulsa, an cum ipsis ruinis superbæ Romæ sepulta. Superfunt tamen passim inter nostrates exempla satis propudiosæ & inconsultæ voracita-

a) *de re rustica Lib. I. Præf.*

tis vespertinae, quibus non pauci valetudinem suam pessumdant, tanto utique certius magisque laedendam, quo minus in hac re vel consuetudine ipsa subleuantur, vel aliquibus, quibus prisci homines iuuari solebant, regulis incommoda illa differre aut imminuere nouerunt. Putaui igitur operae me pretium facturum esse, si noxas ab ingestione ciborum potuumque immoderata vespertina seorsim considerarem & ob oculos ponerem, ut caueri possint: simulque indicarem, quo pacto sibi consulere debeat, si quis errorem huiusmodi diætericum admisisset. Faxit DEVS ut noster conatus multorum saluti cedat.

§. I

Cibum & potum, eundemque moderate assumptum, bene masticatum, & prouide deglutitum, summum fere sanitatis & tuendae & vacillantis restaurandae constituere remedium, nemo sane, nisi rectae rationis expers, inficias ibit. Quod si enim corpus nostrum organicum penitus consideramus, ita istud comparatum esse animaduertimus, ut semper ipsi, quoad partes tam firmas quam fluidas, per accessionem sit restituendum, quicquid per varios modos variasque vias ex ipso secesserit. b)

A 3

§. II.

b) Dubitat hac de re celeberrimus quondam Lipsiensium Anatom.

tomi.

§. II.

Sumendi autem cibi potusque tempora variis gentibus varia fuisse, & a nostris diuersa, & a se inuicem discrepantia; nec in earundem gentium omnibus familiis eodem modo instituta & obseruata; facile intelligitur, quum hæc legibus nullibi definita, sed cuiusuis arbitrio relicta semper fuerint. Sed apud Græcos Romanosque τὸ δᾶννον, *cœna*, præcipue celebratur, quam ISIDORVS c) paucis verbis describit esse *cibum vespertinum*. Atque hæc fere sola pro corporis refectioe, quæ nomen mereatur, habita ipsis fuisse videtur, quum de prandio non nisi pauca legamus, eaque satis tenuia. Et quum cœnæ tempus satis determinatum apud varios auctores legatur: prandii adeo sunt obscuræ rationes, vt vix quisquam inueniatur, qui sibi illud exploratum esse videri voluerit. Vero enim simillimum videtur id & minimo impendio ex rebus obuiis paratum & quando commodum erat, adsumtum fuisse; nec ab vniuersa familia simul, sed separatim a singulis: quum *cœna* quasi κοινὴ αἰσχροῦς, *communis familie cibatio, refectio*, ex Græca origine valeat, ad quam mihi respexisse videtur VARRO d) quando de pastoribus ita præcipit: *Cibus eorum debet esse interdum separatim vnus cuiusque gregis: vespertinus in cœna, qui sunt sub vno magistro communis.*

§. III.

tomicus, BOHNIVS in *Oeconomia sua animali* p. 109. sed qui accuratius rem demonstratam cupit, adeat Illustr. BERGERI de *Natura humana* Librum p. 170. seqq. ubi ex asse ipsi satisfieri poterit. c) *Lib. XX. 8.* d) *de re rustic. II. 10.*

§. III.

Cœnæ tempus veteribus quidem Græcis ac Romanis fuit illud, quando iam maximi calores solis minuebantur, illeque ad occasum inclinabat, hora fere diei nona aut decima. Enimuero difficile est ad horas nostras rem exigere, quum Romanis longissima dies & breuissima totidem horis diuisa esset, & nox totidem partibus scinderetur, scilicet XII. quas hyeme longiores fuisse, æstate breuiores, per se patet. Accumbebant autem, dum homines frugalitatis & pudoris aliqua ratione ducebantur, vsque ad solis occasum; quod docet HOMERVS e): quamquam nec hoc Græcis perpetuum, neque Romanis in vsu fuit adeo positum; quippe apud quos cœnas in seram noctem productas satis frequentes inuenimus: prorsus vt EVSTATHIVS ad hunc locum eam verecundiam tantum deorum templis fuisse habitam testetur, inque aliis epulis, τὸ καταπανυχίζεν h. e. totas noctes commessari, consuetudinis lege obtinuisset indicet.

§. IV.

Hæc de cœnæ apud veterēs Græcos ac Romanos ratione delibasse sufficiat, vt intelligatur vespertinum cibum in genere illis fuisse plenioris refectionis loco, & ita fuisse, vt plurimi eorum, qui se rebus gerendis dederant, semel tantum cibum videantur cepisse: ceteros, qui vna cibatione contenti esse non poterant, extra cœnæ tempus obuium quid & sine magno apparatu, quotiēs libebat aut licebat, assumpsisse. Qua in re ali-

e) *Odyss.* γ. vers. 335.

qua subesse causa videtur illis regionibus peculiaris, quod æstiuo maxime tempore calores, qui circa meridiem vehementissimè esse solent, illud tempus prandio ineptum reddebant: maturius autem, hora forte diei tertia aut quarta, cibo capiendò multum indulgere non licebat, quoniam tunc in foro & iudiciis grauissimæ causæ agebantur, quibus crebro interesse debebant, quicunque ciues & reip. negotiorum participes erant. Eos autem, qui in agris degebant aut prouinciis, ab hoc more aliquando deflexisse, & prandium quoque lautum apparauisse, inde colligo, quod CICERO f) Verri non solum cœnas, verum etiam prandia sumtuosa & luxuriosa obiicit. Et medicorum ille Cicero, CORNELIUS CELSVS, homini, qui & bene valet & suæ spon-tis est, suadet *bis die potius, quam semel, cibum capere, & semper quam plurimum, dum modo hunc concoquat.*

§. V.

Enimuero mittemus veterum consuetudinem, & ad propositam quæstionem veniemus, vtrum homini, qui viuere & valere cupit, cibus vespertinus magis conueniat, an meridianus? vtra repletio nimia magis lædat corpus, an illa, quæ fit in prandio, an vero quæ vespèri? Ad hanc vero disceptationem rectius diiudicandam non quidem licet, quemadmodum veteres suas solebant cœnas, rem ab ovo exordiri, multisque exponere quo pacto fœtus in vtero conceptus nutritione illico & continuo indigeat, idemque, quamdiu vita durat & secundum naturam recte constitutus est homo.

f) In Verrem Act. III.

perpetua ingestionis . concoctionis chylicationis, sanguificationis, demumque appositionis & agglutinationis vicissitudine succedat, ipsa fame sitique nos admonente & ad supplementum tempestive quærendum acri subinde stimulo compellente. Nihil enim moror illa passim consignata *doctas* exempla, quæ apud LAVRENTIVM IOVBERTVM, g) MARCELLVM DONATVM, h) FRANC. CITESIVM i) SCHENCKIVM, k) QVERCETANVM, aliosque consignata leguntur: quippe de plerisque dubium videri potest, an satis accurata industria in veritatem illius iactatæ abstinentiæ inquisitum sit; præcipue quum IO. WIERVS l) in puella talia simulante insignem fraudem detexerit. Si vero sint visa & fideliter observata aliqua exempla, quibus nulla fraus subfuit: ea, quippe rarissime contingentia, ad vniuersalitatem illius dogmatis medici, quod animalium corpora alimento in dies egeant, infringendam omnino nihil valent. Illo igitur ex communibus medicorum præceptis supposito, vna cum omnibus, quæ ex doctrina physiologica huc pertinent, progredior ad inquirendum in qualitatem cibi & potus, qui ad sustentationem vitæ nostræ adferri debeat.

§. VI.

Alia sane victus ratio conuenit tenerrimæ ætati, alia adolescentibus, alia iam consistentibus, Diuersa tenenda sunt in statu valetudinis optimo, aut neutro constitutis, vel prorsus ægrotis, licet vnum eundemque habeant

B

ciban-

g) *Decad. 1. parad. 2.* h) *hisor. med. mirab. lib. 4. cap. 12.* i) *Opusculum pag. 55. sqq.* k) *Observat. Libr. III. pag. 351.* l) *de prestigiis.*

cibandi scopum, vitalis nempe facultatis custodiam. Alia quoque temperamenti mollioris, alia robustioris subiectis adiudicanda erunt. Ex omnibus autem cibis, quantum fieri potest, ii eligendi sunt, qui maxime temperati nostræque naturæ sunt familiarissimi. Placet consilium, quod PAVLVS ÆGINETA m) hanc in rem suppeditat: *Cibi inter eos, qui incrassant & attenuant, medii omnium sunt laudatissimi, ut qui mediocrem substantia sanguinem procreent. Talis cibus corporibus nostris congruit.* Eligantur igitur cibi boni succi, molles, qui facile concoqui possint, & nullam in stomacho noxam relinquant, euitentur autem, qui male nutriunt, bilem augent, humores aut condensant, aut nimis falsos reddunt, viscosi scilicet, terrestres, graves, falsi, amari, nimis vel frigidi vel calidi. n). Et cum iuxta HIPPOCRATIS effatum, o) *facilius sit refici potu, quam cibo*, euitentur potus valde spirituosus, quibus motus humorum nimis acceleratur, crudi & dyspepti, quibus chylus vitiosus vitiosusque redditur; hauriatur vero sincerus, purus, tenuis atque dilutus, qualem excellentiorem, præter ipsam aquam, nusquam in toto terrarum orbe reperies. p)

§. VII. Magis autem ad rem pertinet quantitas cibi potusue assumendi, ad quam examinandam nunc progredior. Determinat istam scite GALENVS q) quando dicit:

m) *Lib. I. cap. 73.* n) Conf. pluribus MART. WENDRICH in *axiomat. Medic. Lib. III. axiom. 183.* o) *Lib. II. aphor. XI.* p) Legi meretur hac de re illustris FRID. HOFFMANNI *Dissert. de aquæ Medicina uniuersali.* q) *de tuenda sanitate Lib. VI.*

dicit: Prospiciendum est, ut eorum, quæ eduntur ac bibuntur, respectu eorum, quæ expelluntur, conueniens mediocritas seruetur, seruetur, si in utrisque ponderabitur quantitas. Cum itaque, uti inter omnes constat, vi circuli & pressionis sanguinis, multum ex humoribus intus agitat, per porosam corporis nostri structuram, transpiratione eiciatur, eoque ipso particularum & laudabilium & minus laudabilium effluuio atque discessu corpora nostra satis exhauriantur, necessario requiretur, ne tandem uniuersa viribus exhausta moles concidat, ut noua particularum successione illius, quod amissum est, damnum & iactura refarciatur, sicque circulus & pressio sanguinis instauretur. Fit autem hoc non solum per venas nostras absorbentes, r) sed potissimum per actualement cibi potusque assumptionem. Quod si igitur ad mentem SANCTORII, qui in peruestigando hocce studio tot annis totus fuit, iactura corporis nostri, quam partim inuisibilem, partim visibilem particularum exclusionem facimus, singulis diebus ad lb. iij-iv. accederet, necesse foret, ut ea quantitate quotidie alimenta assumantur, qua illa trium vel quatuor librarum iactura reparari, atque adeo compages corporis, quæ est statu, conservari possit. s) Sed cum hæc Sanctorianæ methodus ciborum quantitatem emetiendi non nisi probabilitate nitatur, & forte ad corpora septentrionalibus regionibus viuentium non satis exacte quadret; certior omni

B 2

com-

r) De Venis absorbentibus vid. Diss. quam anno nuper elapso sub Præsidio D. D. & Prof. QVETLMALZII Lipsiæ habui. s) Pluribus hoc Sanctorii problema ponderatum est in BERGERI Diss. de Monofitiâ Viteb. 1704. habita.

computu erit regula, tunc sufficere cibi potusque quantitatem, quando appetitus desiderium extinctum esse sentimus. Præter enim appetitus stimulum immodicam eduliorum copiam ingurgitare velle, gulam intemperantem vere prodit. *Peu, mais souvent*, dicunt Galli Errant autem, qui sibi persuasum habent, eo magis roboris atque virium nobis accedere, quo magis ex esculentis atque potulentis assumere nitimur. Pauca enim alimenta, bene digesta, plus corpori reddunt fructus, quam plura eademque fere superflua, quorum maxima pars in putredinem vergit, pluresque morbos ingenerat, nisi aut evacuantibus sibi tempestive prospiciant eiusmodi gulones, aut ad minimum fame, tanquam optima huius in Diætâ erroris medicina, ad integritatem reduci allaborent. *Sanitatis enim studium est, non satiari cibis, & impigrum esse ad laborem.* t) Hoc etiam tritum illud comprobatur: *Non ut edam, vivo; sed ut vivam, edo. Et qui multum edere optat, parum comedit.*

§. VIII.

Quoties edendum quotidie? pluribus inquisiuit BARTHOLINVS, u) & ante ipsum IVL. ALEXANDRINVS, x) & non pauci alii. Sunt qui bis eodem die; sunt, qui semel cibos capiendos esse dicunt. Quisque suas in alterutram partem venditat rationes, quas ulterius scrutari instituti nostri ratio non permittit. Ut tamen dicam, quod sentio, uniuersalem legem hac de re omnibus imponi posse non crediderim, cum pro varia

t) HIPPOCRATIS *Lib. VI. Epidem. Sect. IV. aph. 20.* u) *In controuers. anatom. quæst. IX.* x) *Salubrium Libr. XXVIII. cap. 18, 19. XXIX. cap. 1, & insequentibus.*

ria corporis, virium, ætatis, vitæ generis, aliarumque conditionum constitutione cibi sumendi mensura & proportio omnino definienda sit, Vti autem non omnibus *ad modum* a medicis tuto præcipi poterit, ita nec omnibus bis de die cibis repleti vtile fore arbitror. Accumbant igitur a meridie, quos stomachus latrans urget; accumbant vesperi, qui id necessarium sibi existimant; manebit & prandio & cœnæ sua laus, suus honos, suumque, si indiuulsa comes affideat temperantia, emolumentum. Quin nec Reginaldum Belnensem, Bituricensium quondam archiepiscopum reprehendo, qui, **THVANO** y) teste, continuo fere cibo refici necesse habebat, eoque copioso, non ad gulam sed ad valetudinis conseruationem. Huic enim hora II. matutina primum mensa sternebatur, post quartam altera, tertia sub horam octauam, quarta prandii consueta hora, quinta post meridiem hora quarta; sequebatur cœna opipara, & antequam ad lectum iret, procœnium denique sumebat. Atque hæc inter alacris semper & grauissimis negotiis occupatus ad octogesimum ætatis annum peruenit.

§. IX. Meum iam est, ut iis, quæ thematis ratio præmittere iussit, adductis, de cœna largiori gulæ intemperantis noxa certiori verba faciam, pluribusque demonstrem, qualia in vulgus exinde redundare soleant detrimenta. Neesse autem erit, ut ante omnia, quid per talem cœnam largiorem intellectum velim, expandam. Nihil autem

B 3

y) apud **STOECKENIVM** in *Thuano enucleato* p. 258.

autem aliud innuo, quam talem cibi potusve assumptionem, ubi vespertino tempore plus quam natura bene commodeque ferre potest, ingerunt homines, moxque, sine prævio motu decenti, lectum somnumque petunt. Tam deprauatus enim nostris temporibus obtinuit mos, ut, nec integris familiis exceptis, dentur complures, qui, vanis voluptatum illecebris seducti, epulas suas & comestationes non nisi vespertino tempore instituant, easdemque, ad multam usque noctem, crapulas inter & comotationes, protrahant, imo supra brutorum morem tantam voracitatem adhibeant, ut vix spirare possint, & ne crepent certe metuendum sit, donec tandem variis eduliorum generibus oppleti, potibusque fortioribus obruti, lectum & strata querere cogantur. Et hoc quotidiana praxi utique esse consentaneum, quis negabit? Si enim aut festiuitates nostras nuptiales, aut congressus exequiales, aut quæcunque conuiuia solemnia publica spectes, nonne ita pleraque comparata reperies, ut eadem sub nomine cœnæ haud paucis sat graues, imo interdum lethales noxas inferant? Et tamen in ea plurimi sunt opinione, ac si largius cœnare, moxque post tale facinus heroicum somno indulgere, res sit sanitati convenientissima. Fallunt autem, turpiusque falluntur, & nisi mente penitus sint hebeti, noxas cœnæ plus iusto largioris (qualem semper hic intellectam volo) facile ex sequentibus cognoscent.

§. XI.

Primo in genere constat, quod omnis cibus potusque, qualisqualis sit, & quocumque tempore capiatur, si iustam excedat quantitatem, sanitati præiudicium

affe-

afferat. Aggrauat enim ventriculum, eundemque nimis distendit, quo ipso ad digestionem salutarem promouendam minus aptus redditur. Hinc tantorum lerna malorum, cruditates nempe primarum viarum, quæ tot tantisque morbis ansam præbent. Licet autem eiusmodi excessus, in quantitate ciborum peccans, sub prandio perpetratus, incommodis suis non vacet, minores tamen inuoluit noxas, quam qui sub cœna committitur. Post prandium enim motu moderato, leuique corporis exercitio, imo & variis excernendi modis, leuamen quoddam quæritur, quod noctu, vbi somno sepulti sumus, neutiquam præsto est. Felices igitur depredico illos, qui talibus immixti conuiujs non nisi mediocri cibatione contenti sunt: hos semper agiles, alacres, vegetosque videbis, & illi probe norunt languorem, quem alias abstinencia plus iusto longa adferre solet, fausto cum euentu refarcire.

§. XI. *Ut autem propius ad metam accedam, sane cœna parciori & frugali nil sanitati conducibilius esse existimo.* Quodcumque enim stomachus noster non quidem plane vacuus, plus tamen iusto non est oneratus, qualem tibi, quæto, somnum præfigurare poteris? Nonne hæc mortis imago perdulcis nobis erit, grata ac quieta, ita, ut nullis stipata insomniis vires nostras mirum in modum refocillet, nosque mane lectum linquentes nulla incommoda sentiamus, sed potius renati quasi nobismet ipsis videamur? Non nisi prauis humoribus seaturiginem debent fluxiones, rheumatismi, podagra, hydrops, vertigo, &c. ast vnde gignerentur tales, si
legi-

legitima temperantia æqualem eorundem crasin & cursum conseruare, & ne degenerent, obicem ponere an-
niteremur. Tam breue datur inter prandium & cœ-
nam tempus, vt vix omne, quicquid inter prandendum
assumptum fuit, digeratur; nonne igitur adiuuatur opti-
me digestio, si a pluribus sub cœna ingerendis abstine-
mus, quæ alias illi certiori forent impedimento. Ex
hoc ipso fluit, quod per æquilibrium in digerendis in-
gestis & distribuendis humoribus omnis dematur effi-
cia obstructionibus, quæ nimiam ingurgitationem pres-
so pede vt plurimum sequuntur. Quod si autem per
cœnam frugaliorem stomachus ad bene digerendum
præparatur, qualis inde promanabit chylus? certe opti-
mus. Quando itaque talis succus nutritius bene præ-
paratus per vasa lactea ad sanguinem ipsum transfertur,
sanguis corruptus, si adest, cum successu temporis neces-
sario corrigitur, materia autem corruptibilis per po-
ros cutis nostræ exhalantes, mediante transpiratione,
egeritur, sicque nouus succus, isque purior, in locum i-
stius cedit. Et hæc omnia ex cœna non adeo largiter
assumpta felicius procedunt.

§. XII.

Principalis igitur noxa, quam cœna largior comi-
tem habet, erit bonæ digestionis impedimentum, quod
ipsum plures subsequuntur morbi concatenati, catarrhi
scilicet, tussis, vertigo, capitis & ventriculi dolores, so-
mnolentia, malum ischiaticum, & sic porro; omnes e-
nim hosce morbos ex mala oriundos esse digestionem,
nullum inter practicos latebit. Quid, quod etiam ma-
lum spleneticum, scabies sicca, calculus & renum & vesicæ,
per

per coenam largiorem nocivum fati capit incrementum. Confirmat hoc HALY ABBAS ^{z)} dicens: *Cœna hac vitium habet, quod Rheuma provocet, quod in diurna accidere non potest*; Et ANDREAS THVRINVS ^{a)} asserens, copiosam noctis cibationem capitis materialibus dispositionibus mirifice nocere.

§. XIII.

IOAN. MANARDVS ^{b)} auctor est, illos, qui oculos habent aliqua affectione laborantes & imbecilles, ex cœna largiori haud exigua persentire incommoda. Et quamquam ista, quam affert, ætiologia, quod in somno meatus a naribus ad oculos procedentes non obturentur, adeoque per eos sine impedimento vapores crassi ad oculos efferantur, in hodierna anatomica & physiologica doctrina luce minime probari potest; nec intelligere licet, quid vel in nobis vigilantibus meatus istos claudat, vel quid a naribus ad oculos ascensurum sit: non tamen alia deest probabilior ratio, quæ in se veram facti observationem declaret. Nam dum vigilamus & oculi globum ad liberum aerem nos circumfluentem versamus, ex poris superficiei eius multum humiditatis tenuissimæ continuo exhalat & dissipatur: unde fit, ut nec maiori copia in humores nostros influentis alimenti abundantia tenuissima subtilissimi organa vasa adeo multum prægrauet: quando vero palpebrarum limbi per glutinosum humorem ex ductulis illis serpentinis a glandula Meibomiana productis, eructan-

C

tem

^{z)} lib. I. practice. cap. VII. ^{a)} Operum Romæ 1545. editorum p. 146. ^{b)} Lib. VI. epist. 4. pag. 94.

tem quasi coalescunt & aeri accessum prohibent, intus conclusum id omne, quod exhalaturum erat, vel oculi & palpebrarum tunicas lædit, vel in ipso bulbi interiori cauo restagnat, lentescit & grauissimis atque fonticis malis ansam & primam originem præbet.

§. XIV.

Qui subjecti sunt sudoribus nocturnis, amarori oris, flatibus & insomniis, melius agerent, si a cœna penitus desisterent; durante enim somno fibræ stomachi relaxantur, nec se contrahere rursus possunt tanta cum efficacia, ac sub eo tempore fieri solet, ubi expergefæcti somnum exulare iubemus, quo scilicet alacritatem resumimus, corpus mouentes progressum humorum intendimus, vnde vi triturationis intensiori alimenta conquassantur & commutantur in pulvisformem speciem, quæ deinceps ad intestina descendit, ubi succus nutritivus separatur ad introeundum in vasa lactea & dispersiendum sese per omnes partes idoneus.

§. XV.

Valetudinariis & senio confectis cœna largior nunquam prodesse poterit; hinc bene agunt, si ipsam subterfugiant. Tunc enim stomachus eorum longe aptior fiet ad humores viscidos & crassos, quibus superabundat, egerendos, hinc appetitus restaurabitur & Digestio optatos utique habebit successus. Quid autem de infantibus censendum? Neque his conducit cœna largior, licet eos error matrum maxime perniciosus voraces reddat ab ipsis incubulis. Sunt enim in erronea ista & summe nociva opinione, quia indies crescere & augeri debent infantes, necesse esse, ut, quantum fieri potest, alimentis repleantur; & hoc ipsum existere remedium unicum, per quod

quod vires accipiant & robur. Ideo tot tantisque eduliorum speciebus infarciunt infantes, ut tandem nauseam inde capiant. Est autem eiusmodi improbus excessus causa sæpissime non solum morbi istius infantilis, quem Rhachitidem nominamus, sed & mortis ipsius præmaturæ; in aliis vero fomitem inde capiunt plures morbi in adultiori demum ætate erumpentes. Nec in cibis saltem intrudendis acquiescunt matres, sed etiam potibus spirituosus recreare student pusillos, cum tamen sanitati Infantum nihil magis obstat, utpote qui parum, sed sæpe edere, & non nisi liquida refrigerantia bibere debent. Sed vulgaris hic est in Dieta error, ut plurimi, quando ventriculum cibis nimis aggravatum sentiunt, putent, solutionem ciborum chylique extractionem melius fieri non posse, quam copiosa potentiorum assumptione, hinc unus haustus mox sequitur alterum, & tam crebra fit inuitatio poculis post cœnam, cui non ineleganter HERMOLAVS BARBARVS nomen finxit *Pocœnium*, *der Schlastrunk*, totiesque reiteratur, donec temulenti lectum premere incipiant, per totam noctem stertant, adque multum mane in utramvis aurem obdormiant, cum interim chyli secretio in primis viis impediatur, & ipse chylus per talem in potu excessum crudus reddatur ac aquosus, aut ad minimum particulis heterogeneis, crasique nostri corporis minime idoneis, offundatur.

§. XVI.

Quantum ad vertiginem contribuat cœna largior, iam supra indigitavi; idem est cum lipothymiis, in quas sæpius incidere, qui liberalius cœnant, observatum fuit,

it, cum è contrario, qui cubitum eunt absque cœna prævia, non facile Lipothymiis obnoxii esse soleant. Imo reperi in Anglo quodam scriptore, quod expressis verbis dicat: obseruatum fuisse, illos, qui non cœnant, nunquam inter dormiendum obire. c) *Quot autem homines, qui superflue se repleverunt, suffocati interierunt!* dicit AVICENNA. d) Et sane nititur observatio hæc practica rationibus physicis euidentissimis. Peccant enim istiusmodi comedones contra modo citati Avicennæ monitum, *quod non illico post comestionem sit dormiendum, cibo natante, sed parvus motus exercendus, qui cibum ad fundum stomachi descendere faciat.* e) Possent hæc omnia fufius testimoniis doctissimorum virorum corroborari, sed satis esto ad quotidianam prouocasse experientiam. Non errabo, si statuam inter causas, cur homines nostris temporibus non tam longum, ac olim, ducant æuum, non esse minimam cœnam largiorem adeo frequentem: hæc enim ipsa cum salutaris digestio, vt ex antea dictis patet, impediatur, per cruditates inde enascentes chylus corrumpatur, per chylum corruptum sanguis inficiatur, sanguine infecto materia corrupta, ob crassitiem & visciditatem suam, per peripheriam corporis egeri non possit; quid mirum, quod inde atrocissimorum catena morborum fabricetur, & mors ipsa præmatura acceleretur? Mortem enim certius accelerantia dicuntur v-

xor

e) Conf. *Traité des vertus medicinales de l'Eau commune* par M. Smith, vbi Autor p. 107. dicit: *On a observé, que ceux, qui ne soupent point, ne meurent jamais en dormant.* d) Lib. I, Fen. III. doct. II, cap. VII. e) ibid.

xor formosa, tristis familia, aer corruptus, & denique
cibus ac potus immoderatus. Hinc etiam inter regu-
las veterum diætericas primas obtinet ista: *Mense ne sint
æquales, cœna breuior & frugalis*: uti ex TIMÆO a GVL-
DENKLEE f) videre est: cui addere liceat notissi-
mum istud Scholæ Salernitanæ diæterium:

*Ex magna cœna stomacho fit maxima poena;
Ut sis nocte levis, sit tibi cœna brevis.*

§. XVII.

Habebit tamen & cœna largior, qui ipsi patrocini-
antur, causamque eius tueri non detrectabunt. g) Nul-
lum esto mihi in præfenti commercium cum illis, qui-
bus sola luxuriandi libido cœnam lautiozem parat:
cum enim istiusmodi gulæ intemperantes turpem per-
petrent actionem volentes, grauissimam etiam eius pœ-
nam luant nolentes, summum fas est. Sunt, qui sub
larua magis speciosa nonnulla cœnæ largioris commoda
laudibus evehere conantur. Dicunt enim somnum fi-
eri magis profundum, eoque ipso, accedente aëre no-
cturni temporis frigidioris, concoctionem, ob calorem
naturalem auctum, melius peragi, sicque viam ad sani-
tatem firmiter & perpetuo tuendam optime pandi. Ve-
rum enim vero somnum post cœnam largiorem mini-
me

C 3

f) in Operibus pag. 1156. g) Inter hos primus fere est
ODDVS DE ODDIS, Medicus Patauinus, qui Libros II.
de cœnæ & prandii ratione reliquit. Venet. 1570. 4. in
quibus a capite ad calcem usque cœnam largiorem vsque
quaque commendat.

me fore quietum, sed potius gravem, multisque informis maxime turbatum, jam supra indicaui. Quod alterum attinet, concedo equidem, quod nonnullæ actiones vitales & naturales somno nocturno reddantur validiores; quomodo autem energiam suam debito cum successu habebunt, si ventriculus cibo potuque nimis repletus obstat, quo minus humores officia sua rite subire possint? accedit, quod jam vberius evictum dederim, legitimam concoctionem & distributionem fieri non posse, ubi motus moderatus non præcesserit.

§. XVIII.

Quod si quis obiiciat, tempus a cœna ad prandium esse longius, quam a prandio ad cœnam: cibum igitur in cœna tenuiorem assumptum breviori quoque tempore confici: cibo autem confecto ventriculum manere ieiunum & malis oppleri humoribus, quod valde noxium esset; ei neutiquam dandum erit, tam angusto temporis spatio cibum in ventriculo omnem confici posse: quod si igitur quis a prandio residuus ventriculum adhuc occupat & in cœna ei modica portio additur, nonne satis habebit ventriculus ad prandii tempus usque, quod digerat & concoquat? Qui denique ad exempla veterum prouocant, inscitiam suam lepide produnt. Nouimus enim, morem istorum cœnandi plane diuersum fuisse a nostro hodierno, siquidem cœna ipsorum tribus horis ante solis occasum fieri solebat. *b)* Quando igitur antiquiores cœnam prandio

b) Vid. Disceptatiuncula Medica ANDR. THVRINI
Pisci-

largiorem commendant, semper intelligunt cœnam diurnam, non nocturnam, & quæ ægritudinibus capitis ab humore dependentibus minime nocet, & quæ temporibus illis in consuetudine erat. Quod necessario illis inculcari meretur, qui cœnæ largioris se tantos patronos fingunt atque de laudibus cœnæ apud veteres nescio quæ magnifica nobis obiiciunt.

§. XIX.

Restat paucis dispicere, quodnam proſtet remedium contra noxas e cœna largiori redundantes? Allegabo unicum, idque probatissimum, tutissimum & efficacissimum, abſtinentiam nempe, quæ mater est fanitatis. Si quis eandem adhibuerit, ventriculus eius, tanquam viscus principia fere omnium morborum in sese primum continens, accipiet vires ab humoribus pravis, tanquam causa istorum morborum, se liberandi, vapores iterum evanescent, omnis morborum occasio propelletur, appetitus denuo prouocabitur & sic iusto æquilibrium per totam corporis machinam asseruato, fanitas illæsa manebit & imperturbata. En remedium & ditioribus & pauperioribus saluberrimum! Absque abſtinentia imbecilles & valetudinarii subsistere nequeunt: quo magis enim corpora sua impura nutriunt, eo magis ista ledunt. Nec, qui robustioris sunt temperamenti, illam flocciendant; minima enim in circulo fan-

Piscienſis, aduersus opinionem MATTHÆI CVRTII de prandii & cœnæ ratione, quæ in operibus eius continetur
P. 144. §49.

sanguinis interiecta remota totum istorum robur vno momento peruertere, ipsisque vitam adimere potest. Adsueſcant igitur abſtinentiæ, quibus res anguſta domi, ne una cœna largior plures dies noctesue ipsis ſollicitudine & cura plenos reddat; adsueſcant abſtinentiæ & opulentioreſ, vt ad decrepitam vſque ſenectutem diuitiis ſuis impenſe vti frui poſſint.

§. XX.

Quod ſi autem quis ex cœna largiori doloreſ grauatioreſ ſentiat, iisque ruruſ ſuſ liberari deſideret, ſequens conſilium, ratione & experientia ſuſcultum, ſine mora adhibeat. Curet nempe, vt, quamprimum poſſit, ſtomachum vomendo euacuet: hoc autem facile, ventriculo inprimis repleto, fieri poterit immiſſione digiti in fauces: repetat hoc aliquoties, donec ventriculum remiſſiorem ſentiat, hauriat deinde menſuram vnã ſimplicis aquæ, non quidem calidæ, nec tamen nimis frigidæ, & ſic lecto ſe credat, certe ſomnum habebit quietum, & ſubſequenti mane ita alacriſ & agiliſ prodibit, vt nihil ſupra eſſe & optari poſſit.

§. XXI.

Et hæc de cœna largiori, gulæ intemperantiſ noxa certiori, dixiſſe ſufficiat; eſt enim manebitque veriſſimum, quod Timotheuſ, Athenienſium Dux, de frugalibuſ Platonis cœniſ aſſerere ſolituſ fuit: *Qui cum Platone cœnant, etiam poſtero die bene habent.* Hinc & inconcuſſa hac innixuſ ſententiâ cœnam auaram i. e. par-

parciorem, cœnæ largiori longe ante pono. Quantas enim hæc gignit noxas, tantas illa producit utilitates, reddit somnum gratiorem, digestionem meliorem, corpus robustius, sensus externos aptiores, spiritus viuaciores, & pathemata ipsa animi moderatiora. Vno verbo: Qui cœna utuntur parciori, plures effugiunt morbos, vitamque viuunt præ aliis & saniores & longiorem; imo cibo potuque modicus, est sibi ipsi optimus Medicus. Sint summo Numini, pro concessis ad huncce laborem viribus, grates deuotissimæ: largiatur nobis per totam vitam nostram cibum & potum sufficientem, faciat autem insimul, ut nunquam extra cancellos temperantiæ vagemur, sed potius semper memores simus moniti istius Paullini: i) *Sine comeditis, siue bibitis, seu quid aliud facitis, omnia ad DEI gloriam facite.*

i) I. Cor. X. 41.

F I N I S.



D

PRÆ-

PRÆNOBILI AC PRÆCLARE DOCTO
DOM. CANDIDATO

SALVTIS PLVRIMVM DICIT
FRIDERICVS HOFFMANNVS,

ORDINIS SVI h. t. DECANVS.

S*apienter non minus ac verissime Celsus in
Præfatione Operis sui prodidit, rationa-
lem quidem Medicinam esse debere, in-
strui vero ab euidentibus causis, obscu-
ris omnibus ab ista arte reiectis. Scitum hoc &
vtilissimum summi Viri dictum ut omnes, qui sacris
artis nostræ cum laude & fructu operari volunt, at-
tentiori & penitiori considerationi committerent,
optandum sane foret vehementer. Ita enim futu-
rum esset, ut complures in contemptum Medicorum
& artis tantum modo natæ dissensiones, discordiæ
& perniciose ac scandali plena altercationes tandem
conquiescerent. Nolumus iam incomprehensibiles &
abditas has res, quas in rationalem artis tracta-
tionem usque eo transferre omnibus viribus nonnul-
li contendunt, recensere; id tantum aperte profite-
mur,*

mur, quod omnes illa causa, quae non ex scientia rerum naturalium seu corporearum deprompta, nec sensibus & rationi obuia, nullius prorsus in explicandis mutationibus, quibus corpus humanum subinde, ab alimentis, & Medicamentis obnoxium est, usus ac valoris, imo ad Medicam scientiam altius prouebendam plane inidonea sint. Ego itaque veritate rei, & hinc quoque conscientia, conuictus & adductus fundamenta Physico - Mechanica addiscenda iis, qui animum ad Medicinam consecrant, & suadere & commendare debeo plurimum. Incredibile enim est, quantas mutationes tam ad statum sanum integre conseruandum, quam laesum restituentum, euidentes haec causa, ut calor, frigus, humidum, acidum, salsum, sulphureum, adstringens, molle, durum, volatile, fixum, graue, elasticum, structura & ductus canalium, in alterandis motibus solidorum & affectionibus fluidorum excitare & inferre possint. Quemadmodum igitur eorum studia, qui ex hisce principiis artem nostram persicere intendunt, multum laudo ac aestimo: ita non possum, quin TVVM, Clarissime Candidate, non poenitendum laborem & industriam, quam in studio Physico Experimentalis, neque minus Anatomico, addiscendo impendisti, magni faciam. Quare etiam omnibus modis non solum hancce TVAM scite elaboratam Dissertationem,

nem,

nem, sed & laudatissimum TVVM institutum præ-
clarum & utilissimum istud scriptum, quod de aqua-
rum frigidarum usu agit, Anglico & Gallico idioma-
te confectum, in nostram linguam transferendi non
satis laudare & comprobare possum. Cæterum de stu-
diis TVIS Academicis felicissime absolutis & inde pro
meritis TIBI Dignissimo conferendis honoribus ex in-
timo affectu gratulor, DEVM benignissimum, omnis
felicitatis inexhaustum fontem, precans, ut ulterio-
res TVOS in artis nostræ exercitio progressus ac la-
bores omnis benedictionis & prosperitatis genere bea-
re & condignos Patronos, quorum auxilio virtus &
eruditio TVA emergere & in altius prouehi possit, lar-
giri velit, quo amplissimos tandem fructus Patriæ pro-
ficuos, PARENTI VENERABILI, summo iam Senio
confecto honorificos, multisque hominibus salu-
berrimos proferre possis. Dabam Halæ Mag-
deburgicæ d. 10. Februar. An.
MDCCXXXIII.



131. B. 12

W 18

